



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

VIII. Pessimum impatientium genus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

facilisque trames compendio duceret?

VIII.

*Pessimum  
impatien-  
tium genus.*

Tūne verò, inquis, impatientes omnes eò miseriarum devenire existimas? Atqui quotumquemque invenes, perfectæ in malis tolerantia? Quota ergo hominum pars à Deo non deseretur, si impatientes omnes merentur destitui? Ne trepida. Non omnes eodem gradu impatientes sunt. De infimo & pessimo hîc loquimur. Si sunt, qui vel apertè Deo obloquuntur, vel apud se saltem contra ejus decreta obmurmurare audent. Cujusmodi fuit pessima, si tamen pessima permansit, viri optimi uxor, quæ sub doloribus fatiscenti incubabat, *Benedic Deo, & morere*, id est, blasphemam aliquam vocem adversùs Deum evome, ut cæteris tuis calamitatibus mortem adjiciat, harum calamitatum finem, & principium scilicet æternarum. Tales fuère, qui apud Malachiam cap. 3. increpabant claris vocibus, vanum esse hominem, qui Deo serviret, cum piis juxta & impiis mala incurrerent. Consimilia plurima apud Prophetas alios miserorum

Israë-

Israëlitarum, ac Judæorum, verba reperire est.

IX. *Intoleranda eorum impudentia.* *Vae, inquit Isaias cap. 45. qui contradicit factori suo, testa de Samiis terræ. Ecce, inquit Jeremiæ calamo Deus cap. 18. sicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea: & tu Baruc, fide secretorum meorum depositarie, lutum es: & tu Sobna, quantumcumque inter primores emineas, aut eminere videaris, coram Deo lutum es: & tu Rex Sedecia, scepro, diademate, purpurâ ornatum lutum es: & vos filia Sion, amictæ auro primo & gemmis splendidæ, lutum estis: & tu Regina, in cultu Persico & luxu Babylonico, lutum es. Luto suo facit figulus quod vult: Deus suo, quod volet, non faciat? Aquâ figulus lutum macerat: Deus vult, ut afflictionum aquæ intrent usque ad animam nostram. Pinsit lutum figulus: calamitosos conculcat homo, tota die impugnans tribulat. Figulus manibus lutum effigiat: Deus in homine calamitoso vertit & convertit manum suam. Dirumpit figulus lagenam aut vascu-*